



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii**

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

**Maffei, Pietro Antonio**

**Augsburg ; Regensburg, 1740**

**VD18 80488153**

Pro die sexta Meditatio prima. De parabola filii prodigi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

*Dies sexta*

## Meditatio undecima.

*De parabola filii prodigi.*

**T**imor Divinæ justitiæ ex præcedentibus meditationibus haustus, mitigandus est spe divinæ misericordiæ, ex præsentate parabola elucens; nam timor sine spe fit desperatio, spes sine timore fit præsumptio: ad hunc finem obtinendum quadrat quam optimè parabola de filio prodigo, quam apud S. Lucam sæpiùs legeris, & ad refricandam memoriam denuo relegere poteris.

Peractâ igitur oratione præparatoriâ præmittes meditationi duo sequentia præludia.

1. Imaginare tibi juvenem macilentum, pallidum, exhaustum, seminudum, omnire emunctum, dirâ fame vix non enectum, post longam absentiam denuò ad lares paternos redeuntem. Imaginare tibi patrem benignissimum, quamvis gravissimè offensum, in ejus occursum properare, eum amplecti brachiis, stringere, paterno dignari osculo, novis ac pretiosis vestibus induere, & in domum paternam introducto lautissimam instruere cœnam.

2. Pete



2. Pece gratiam à Domino, ut intimè agnoscas summam miseriam illorum, qui per peccata se à Patre cœlesti elongant, simul etiam eorum felicitatem, qui agnito suo errore, & pœnitentiâ ducti, ad paternum misericordiæ sinum convolant, & erroris sui veniam supplices rogant: utere proin verbis illis Psalmi 102. *Quomodo miseretur Pater Filiorum, misere Domine timentibus te:* aut illis Isaïæ c. 63. *ubi est multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? tu enim pater noster.* Vel illa Davidis Psal. 34. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Et hæc ipsa hoc manè adhibe pro precibus jaculatoriis.

Meditatio in hæc tria puncta dividetur, ut consideretur 1. dementia 2. miseria 3. felicitas filii prodigi.

### Punctum primum.

Considera filii prodigi dementiam, quæ elucet ex abitu è domo paterna, & abitu hujus sine.

1. Demonstravit satis stultitiam suam hic adolescens, dum portionem substantiæ, vel potiùs hæreditatis suæ, suo tempore sperandæ petiit, & obtinuit à patre, eaque in sarcinam compactâ, longè ab eo secessit in exterarum regiones. Quàm inepta & stulta fuit ejus petitio: *Pater, da mihi portionem substantiæ,*



*stantia, quæ me contingit.* An non sciebat, quòd vivente patre nihil juris haberet, nihil ipsi deberetur de bonis paternis? Major adhuc fuit stultitia, quòd è domo paterna, paternisque oculis se proripuerit, cum tamen in illa ab omnibus coleretur, amaretur, laudè aleretur, de quadra paterna viveret, rebus necessariis omnibus liberaliter instructus, famulorum sua obsequia offerentium, & ejus imperia præstolantium coronâ stipatus, pro hærede futuro agnitus, & vix non pro domino omnium, quæ pater possidebat, jam adoratus.

Facile est conjicere, quàm profundum vulnus paterno cordi infixit hic crudus, & impudens agendi modus filii ingratisissimi, qui postquam perfrictâ fronte, nullò titulò sibi debitam notabilem paternæ substantiæ portionem quasi jure exigere ausus est, insulato, non hospite, sed patre optimo, eique tergum obvertens erupit, & evasit, ipso hoc factò quasi testaturus, se in domo paterna pessimè habitum, quærere se jam extra hanc, meliorem fortunam, & quietem: in immensum excrevisset hæc ejus stultitia, si filius iste degener, fuisset inter reliquos fratres suos patris ocellus, & præ aliis omnibus tenerè dilectus; simul etiam patris hinc hausta afflictio.

An non hæc ipsissima vitæ tuæ hæctenus actæ imago est, vivis coloribus expressa? An non tu filius Dei adoptivus, fonte sacri baptis.



baptismatis ablutus, & renatus, in domo  
DEI natus, & in sinu sanctæ Matris Eccle-  
siæ, Christi sponsæ, lactatus uberibus divi-  
næ providentiæ, ad mensam Eucharisticam  
toties basilicè pastus, tot fratribus tuis præ-  
latus & specialibus favoribus ante alios af-  
fectus, dum ad Ecclesiasticum statum eve-  
ctus, inter familiares admissus, divinorum  
mysteriorum administer constitutus fuisti: tu,  
inquam, es ille vir, qui à Patre tuo cœlesti pe-  
tere ausus es portionem tuam, nimirum liber-  
tatem tuam, quæ magis ad Deum, quàm  
ad te ipsum spectabat, sicuti magis ad De-  
um spectabant, quàm ad te omnes poten-  
tiæ animæ tuæ, omnes corporis sensus, in-  
genium, doctrina, eloquentia, dignitates,  
& sublimes honorum gradus, facultates tem-  
porales, ac divitiæ, quibus abundabas, &  
quasi Deus tibi injuriam inferret, dum te le-  
ge justissimâ obligat, ut omnibus his bonis  
& donis utaris, solum ad illum finem, ad  
quem consequendum tibi hæc omnia imper-  
tavit; quibus tu tamen imprudente arrogan-  
tiâ volebas pro tuo lubitu, & arbitrio uti,  
& abuti, & tergum Deo obvertens, cum  
his aufugisti tam longè ab ipso, quàm lon-  
gè ipse, nempe Deus, distat ab omnis ge-  
neris iniquitate.

Agnosce igitur tuam stultitiam, illâ non  
inferiorem, quam admisit filius prodigus, &  
erubescere, quòd tam perfidè egeris cum  
aman-

aman-



amantissimo patre, eique tam scdam ignominiam ingesseris.

2. Finis, qui filium prodigum impulit ad petendam portionem, & domum paternam deserendam, non erat alius quàm ut censorio patris oculo, patriæque potestati subtractus, suis appetitibus frœna laxare, nullisque coerceri legibus, aut circumscribi limitibus posset, omnia pro cœca libidine gerendô, & dissipandô, quod & fecit, vivendo luxuriosè donec ne quidem obolus unus in exhausti marsupii fundo hæreret residuus.

An hac major stultitia excogitari potest? Jam adolescentiori nimis durum videbatur, adhuc sub patrio hære imperio & potestate; nimis dulce è contrario ipsi videbatur, suô vivere geniô, legibus omnibus conculcatis, pervagari exteras regiones, deflorare viridantia deliciarum prata omnia, laxatis habenis se pleno impetu effundere in lusus, in crapulas, epulas, in Veneris & ventris sordidas voluptates. Hæc erant heroica facinora, quæ meditabatur, & moliebatur magnus hic, & imperterritus heros, quibus ipse, & tota ipsius prosapia inclaresceret.

Si hæc seriâ tecum mente revolveris, deprehendes, in hoc ectypo stultitias, & ignorantias tuas juveniles ad vivum expressas. Etiam tibi displicuit legibus paternis, licet saluberrimis, subesse: etiam tu obrinisti portionem, quâ pro libitu uteris, vitâque duce;



## De parabola filii prodigi. 211

duceres libertinam; etiam tu tibi stultè  
 persuasisti, ingens te facturum lucrum, De-  
 um amittendò; etiam tu abliguriisti & dis-  
 sipasti patrimonium, quod tibi liberaliter  
 datum est nempe bonis corporis, animæ &  
 fortunæ; forsitan & tu eo, quo filius pro-  
 digus modo dissipasti ludendò, comessandò,  
 lasciviendò, & luxuriandò; & hæc sunt illa  
 ipsa scelera, à quibus D. Paulus præcipuè  
 homines Ecclesiasticos longissimè abesse vo-  
 luit: oportet Diaconos esse pudicos, non bilingues,  
 non multo vino deditos, non turpe lucrum sectan-  
 tes. 1. Tim. c. 3. *οἱ οὖν διακονοῦντες ἑαυτοὺς ὡς ἑαυτοὺς*

Quantum augere non poteras gloriam  
 patris cœlestis, bene ac prudenter impen-  
 dendo portionem substantiæ tibi ab ipso  
 concessam? quantis incrementis hanc non  
 augent hoc ipso tempore alii ejusdem tecum  
 conditionis, ætatis capacitatis, & habilitatis,  
 tibi in eadem, qua vivis patria notissimi.  
 Suffunditor pudore his te comparans, & eru-  
 besce, quòd dignitatem statûs tui tam fœdis  
 facinoribus dehonestaveris, & conspurca-  
 veris; ultro fatere, ac candidè, te non am-  
 plius mereri dulce nomen filii, nec dignum  
 esse, qui hoc nomine posthac unquam  
 compelleris; sed te ex illorum numero esse,  
 de quibus Moyses, c. 32. loquitur: *peccave-  
 runt ei, & non filii eius in sordibus. Hæcine  
 reddis domino popule stulte & insipiens? Nunquid  
 non ipse est pater tuus?*

O 2

Pun-



## Punctum secundum.

Considera, ad quas misérias filius prodigus extra domum paternam redactus fuerit: ab omnibus, & omni ope destitutus, in extremam incidit paupertatem, caninam passus famem, vile mancipium, seminudus laceris centonibus vix ad honestatem debitam tectus, ab omnibus contemptus ac derisus: & hæ sunt illæ miseriæ, quas sibi accersit, quisquis à Deo recedit.

I. Itaque à patre, ejus famulis, & domesticis omnibus desertus, & remotus hærebat in regione longinqua. Hic ipsissimus status est omnis peccatoris, qui terga vertens Deo, ex ejus conspectu se proripuit. Deus neminem deserit, nisi à quo ipse prius fuerit desertus: sic certos nos reddit *Tridentinum Sess. 6. c. 11. Non deserit, nisi prius deseratur.*

Consistit autem hæc desertio in privatione & ablatione gratiæ sanctificantis, quæ nos Deo charos, gratos, & adoptivos filios faciebat: consistit in privatione gratiæ auxiliatricis; & quamvis falsa sit aliquorum doctorum opinio, putantium, quandoque peccata puniri subtractione totali omnium omnino auxiliorum divinæ gratiæ, ita ut peccatori indurato impossibilis reddatur conversio, & reditus ad statum gratiæ; nec

un.



unquam credi possit, quòd Deus velit, hac vita durante, peccatorem castigare pœnâ, quæ statum viatoris evertat; quippe, qui tamdiu, quamdiu vivit, tenetur & obligatur anhelare, tendere, & omni conatu quærere consecutionem sui ultimi finis supernaturalis, nempe salutis æternæ; & quamvis juxta communem Theologorum doctrinam Deus apto, & opportuno tempore sufficientia, etiam perditissimis, & obstinatissimis peccatoribus media & auxilia ad agendam pœnitentiam, & recuperandam gratiam supeditet; tamen extra omnem controversiam est, quòd Deus miserum peccatorem quandoque in suis peccatis destituat auxiliis efficacibus, & solis gratiis sufficientibus suffultum, quibus, licet posset, nunquam tamen usus prævidetur ad recuperandam divinam gratiam, sed hæsurus in peccatorum, in quæ se ultrò & liberè conjecit, abyssus usque ad mortem, & his immoriturus.

Filius prodigus non est genuina imago illorum, qui à DEO hac ratione omnino, & tam miserè in suis peccatis deseruntur, licet quivis peccator, qui tam longè à DEO recedit, se dignum reddat tam fatali derelictione: meritò tamen time & cave, ne & tu in hanc ineluctabilem miseriarum abyssum prolabaris; summâsque redde DEO gratias, quòd optimus & misericors Deus majore te prosequatur pietate, & misericordiâ, quam pater ille in Evangelio descriptus fili-



um suum prodigum profecurus est; nam hic nullum è suis misit, qui vagum quæreret, domum invitaret, & ad patrem reduceret; cum tamen te Pater cœlestis, à se profugum, ipsemet quæserit per internas inspirationes, & efficaces instinctus, te invitaverit ad reditum, & domum reduxerit.

2. Dum filius prodigus à patre tam procul remotus in regione longinqua versatur, patrimonium & omnem substantiam decoquens, ad extremam reducitur egestatem: *postquam consummasset omnia, cepit egere.* En novam miseriam, quam sibi accersit peccator tam longè à Deo remotus: amittit, & abligurit totam substantiam, & ad incitas redigitur: meritorum illorum per tot retro annos collectorum ingens cumulus deperditur.

Ut autem hujus deplorabilis jacturæ magnitudinem ritè dignoscas, opus est, ut serio, attentòque animò consideres, quantum æstimanda, quantumque pretii sit vel unica tantum, esto etiam minima, pia & sancta operatio. Calix frigida etiam semel tantum ex amore Dei & proximi sitibundo porrectus, tanti coram Deo valoris est, ut cœlum ipsum, imò Deus ipse, & utriusque perpetua possessio vicissim reddita, non censenda & habenda sit pro liberali & gratuito dono, sed pro mercede, etiam ex justitia, & jure debita; ita enim loquitur Apostolus I. ad Tim. c. 4. *Corona justitiæ, quam reddet Do-*

*minus*



minus in illa die justus iudex. Tot coronas  
justitiæ, quot opera bona amittit, qui à  
Deo per peccatum recedit, & in longinquam  
regionem abit.

Potèstne major jactura, luridior prodiga-  
litas, deplorabilior bonorum omnium de-  
coctio, & dissipatio excogitari?

3. Paupertas filio prodigo necessitatem  
imposuit quærendi herum, cui famularem  
elocaret operam; quem etiam nactus est di-  
vitem quidem, sed avarissimum, tam tenui  
ejus obsequia mercede remunerantem, ut  
zgrè vitam sustentaret. Adolescens nobili  
& illustri natus prosapiâ, in paterna domo  
inter delicias, omnesque commoditates te-  
nerè educatus, extra domum paternam in  
eas devolvitur miseras, ut fortunæ prospe-  
ræ adscribere debeat, si crudeli hero famu-  
lari possit.

Hæc est sors omnium illorum, qui à Deo  
recedunt: coguntur servire duram servitu-  
tem diabolo, juratissimo humani generis  
inimico, & dum desinunt esse filii Dei, fiunt  
miserrima diaboli mancipia. Hæc miserrima  
metamorphosis, seu mutatio à Jeremia in  
suis Threnis amarè deploratur sub schemate  
desolatæ urbis Jerusalem, quæ prius domi-  
nabatur regnis, & provinciis, subinde sub-  
jugata, catenis onerata, instar vilissimi  
mancipii Chaldæo victori servire coacta est:  
*Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta est*



*quasi vidua, domina Gentium? princeps provinciarum facta est sub tributo? Thren. 1.*

4. Filium prodigum herus suus non alii præfecit officio, quàm vilissimi subulci, ac sordidi porcarii; ad hoc dignitatis, & honoris fastigium tandem euectus est hic adolescens illustrissimis, & splendidissimis ortus natalibus.

Et hæc ipsissima imago & sors est illorum, qui peccato & diabolo serviunt: horum prima, si non unica cura, & occupatio est, pascere brutales & sordidos appetitus suos insatiabiles, qui semper ingeminant, *affer, affer, & nunquam dicunt, satis est,* quin ipsimet tandem in bruta, & belluas transeunt; nec manent amplius brutorum custodes, cum vivant instar brutorum, nec juxta rationis leges, sed affectuum suorum cæco ferantur impetu, & præter speciem externam nihil amplius de homine retineant: & hac de causa sacræ Litteræ compellant hominem peccatorem nunc hujus, nunc alterius belluæ, ac bestię nomine, ut innuant, peccatorem non esse unam ac simplicem, sed multiplicem bestiam.

Propter effrænem, indomitamque suam luxuriam vocatur equus, mulus &c. *Equi amatores, & emissarii facti sunt Jer. c. 1. Sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Psal. 31. ob mortiferum venenum, quo peccator turgit, vocatur vipera: progenies viperarum. Matt. c. 3. ob suas fraudulentias, teetos ac proditorios*



torios dolos versipelles astutias, vocatur scorpio: & cum scorpionibus habitas. Ezech. c. 2. ob inexplebilem famem auri, argenti, & semper plura corradendi, comparatur leoni: sicut Leo paratus ad prædam. Psal. 6. ob imprudentiam in rebus dignoscendis, æstimandis, ferendoque de illis æquò judiciò, comparatur jumento ratione carenti: comparatus est jumentis insipientibus. Psal. 48. ob foetentes lasciviæ sordes comparatur porcis; sus lota in volutabro luti. 2. Petr. c. 2.

Nabuchodonosor in peccatorum suorum poenam exteriori specie ac figurâ per septennium integrum belluam præsetulit, sed interius pejor, ac truculentior reipsa erat fera, ac bellua, quàm apparebat: hinc Danieli ostensus est instar monstri ex duabus bestiis conflati, nempe ex aquila ob suam rapacitatem, & ex leone ob tumidam superbiam, & fastum: & hæc est ingens peccatoris miseria, qui tandem ad, vel potius infra conditionem bestiæ dejicitur.

5. Filius prodigus porcorum gregi custos datus, pro suis obsequiis non aliud accipiebat salarium quàm paucas glandes, avidis grunniendum alumnorum suorum dentibus subtractas, quibus famem suam non satiaret, sed aleret. Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat: & hæc ipsa sordidissima portio erat tam tenuis, ut mortem diu arcere non potuisset: Ego hic fame pereo.

O s

En



En in imagine ad vivum expressas miserias, in quas incidit, quisquis rebellibus suis cupiditatibus se mancipium subdit, & has bestias pascere cœpit: nunquam fames ejus expletur, & licet tam sordido pascatur cibo, tamen semper crescit ejus fames, ita ut ipsi desit, quo abundant bestia silvæ. Forsitan propria experientia te hanc veritatem docuerit: cor Dei capax, & factum ad amandum Deum, satiari & quiescere non potest, nisi solo Deo, & in solo Deo: nisi te divinæ voluntati conformes, ejus divinis legibus, paternisque mandatis submittas, nunquam & nusquam invenies veram pacem, & solidam quietem: *miseros facit populos peccatum.* Prov. c. 24.

### Punctum tertium.

Considera filii prodigi felicitatem, unde hæc originem sumpserit, & ad quam sublimem gradum hæc denuo ascenderit.

I. Origo hujus felicitatis fuerunt tres animi reflexiones. Primam direxit in seipsum: *in se reversus dixit: hic fame pereo.* Incepit sapere, rediit ad cor, dissipatis mentis nebulis agnovit infelicitatem sui status; miseræ, & adversitates aperuerunt mentis oculos: *vexatio dabit intellectum.* Isa. c. 28.

Et tu igitur ad te ipsum, ad mentem redi, si fortè peccatum, vel alia perversa inclinatio



rio te tibi met ipsi, & sanam mentem eripuis-  
set. Perpende tuam miseriam, te ipsum hor-  
tare, & dicito: ergone semper vitam agere  
cogar miseram, inquietam, famelicam? er-  
gone semper ero vile cupiditatum mearum  
effranium mancipium? ergone semper in  
evidenti animam æternum perdendi pericu-  
lo cæcus hærebo, & demens ridebo? tem-  
pus tandem est, dirumpendi vincula, qui-  
bus vincior, & pristinam recuperandi li-  
bertatem filiorum Dei.

Secunda reflexio filii prodigi in familiam  
& famulos domus paternæ, directa erat:  
*quanti mercenarii in domo patris mei abundant pa-*  
*nibus:* & ego tam enormiter adhuc pergam  
stultescere, ut malim esse deterioris condi-  
tionis, quam ipsi sint?

Hæc igitur & tu tibi ob oculos pone.  
Quot sæculares homines, quos optimè nô-  
sti, vitam ducunt omnibus ornatam virtu-  
tibus, eximia aliis dant probitatis exempla,  
majore fruuntur pace, & animi tranquillita-  
te, quam tu in statu Ecclesiastico! ipsi quan-  
tumvis longè inferioris conditionis in Eccle-  
sia Dei, quam tu vir Ecclesiastice, pluribus  
& sincerioribus persunduntur cœli solatiis,  
quia Deum pro modulo suo sincerè amant,  
ejusque præceptis exactè obediunt: animos  
sume, & conate illos, si non superare, sal-  
tem æquare, & imitari; tibi etiam dictum  
puta, quod S. Augustinus sibi met toties in-  
gemi-



geminavit: quod ista & ista potuerunt, tu non poteris?

Tertia reflexio filii prodigi proponebat patris sui bonitatem, & clementiam: *ibo ad patrem meum.* Recurrebant animo favores & amores paterni, quibus eum, quamdiu in domo paterna vixit, semper profecutus est; hac tam dulci memoriâ emollitus, & allectus, decrevit redire ad patrem, spe firma conceptâ, se in patre inventurum priorem patrem, & tenerum cor patris, quamvis ipse amisisset, & in se delevisset, quidquid erat, & habuerat filii.

Itaque & tu perpende bonitatem infinitam Patris tui cœlestis, bonitatem infinities majorem, quàm fuerit bonitas illius patris, quem nactus fuerat optimum filius prodigus, nam hic nihil laboris, aut operæ impendit, ut recuperaret filium amissum; non vocavit, non invitavit, non misit, qui illum quæreret, & quamvis illum amanter exceperit, paternis ulnis tenerè strinxerit, tamen hoc unicâ, & primâ tantùm vice præstitit; nec legitur, aut invenitur alicubi, quòd hic pater iteratò, & secundâ vice in priores errores relapso filio suo ignoverit, & in gratiam receperit. Sed Pater tuus cœlestis quanta non fecit, quanta non tulit humanâ carne vestitus, ut te recuperaret?

Revocavit, invitavit toties, quoties intellectum tuum supernis radiis, & subitaneis quasi coruscationibus clarissimè illustravit;



vit; quoties internis impulsibus & robustis instinctibus cor tuum suaviter & fortiter pulsavit, & quodammodo arietavit: te quæsit, non secus, quàm pastor bonus, quæsit oviculam suam errantem, & deperditam: misit, qui te quærent, ministros & cursores suos, hoc est concionatores, operarios, Missionarios, virósque Apostolicos: jam sæpius, & iteratis vicibus expertus es tenerrimum cor, amorem ardentissimum, & plus quàm paternum erga te, hujus tui cælestis Patris; cum te sæpius, ne dicam sæpissimè in pristinas misérias relapsum, semper eadem, & pristinâ misericordiâ, bonitate & clementiâ redeuntem benignissimè susceperit, & in filium receperit: dic ergo & tu, & quidem jure longè majori: *surgam ex mea tepiditate, ex meis negligentis, ex mea cæcitate, ex meis peccatis, surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cælum, & coram te.*

2. His seriò perpensis, filius prodigus domum revertitur, mercenariis duntaxat annumerari cupiens, & enixè rogans. Sed pater è sua dignitate futurum ratus, majora filii peritis liberaliter concedit. Imprimis eum non increpat, non asperè in ipsum invehitur, non objicit delicta commissa, non exprobrat sarcasticè, quòd nunc primùm redeat, quando fames extrema ipsum compellit; non altâ voce intonat, eum mereri, ut fuste potius ex domo paterna eliminaretur,

tur,



tur, quàm ut in eam admitteretur; sed eum à longe conspicatus paterna sibi sensit viscera ad commiserationem, & pietatem commoveri; hinc moræ ulterioris impatiens obviam currit adveniēti, eum amanter amplectitur, tenerrimè ambobus brachiis pectori adstringit, ejusque fronti dulce pacis, & redivivi amoris signum ac pignus, osculum imprimit, jubet, ut sine induciis induatur novis, & illustri stemmati suo congruis vestibus; ut ejus digitis inseratur annulus gentilitius; ut pedibus digniores calcei adaptentur; ut vitulus saginatus, & pinguis ex omnibus mactetur; ut inter festivos tubarum & tympanorum sonitus mensa lautissima insternatur, & opiparum adornetur convivium; & harum lautitiarum, & lætitiarum omnium causa unica est, quòd pater filium suum, qui periērat, quem perdiderat, denuò recuperaverit: ò quàm magnus; quàm tener, quàm benignus est patris hujus amor erga filium ingratum, & indignum!

Sed nunquid multis parasangis hunc amorem præcurrit, & superat amor tenerrimus, quo Pater cœlestis amplectitur peccatorem penitentem? aspicit ipsum benignissimis oculis, serena & explicatâ fronte, quando se ejus pedibus adsternit, nec carpit, vel verbulò, ejus delicta. Christus peccatoribus ad se venientibus nunquam legitur vel obiter tantum objecisse priora delicta; non per-



perjuria Petro, non usuras, & lucra injusta Zachæo, non impuritates suas Magdalenæ; *sic de toto indulget, ut nec confundat improperando.* Augustinus de Dilect. c. 12. Quinimò sicut filius prodigus per pœnitentiam reversus ad patrem, præhabitus fuit suo fratri, ita non raro peccatores post veram, seriam, ferventemque pœnitentiam de suis sceleribus actam, præferuntur ipsis justis: sic Petrus præhabitus fuit aliis Apostolis: sic Magdalena aliis piis mulieribus, Christum sequentibus, prælata fuit.

Recuperat peccator pœnitens patris gratiam, omnia veri filii jura. stolam innocentie deperditæ, saporem & teneritudinem devotionis, annulum divini amoris, habitus supernaturales virtutum, mensam Eucharisticam ipsi in suo ad Deum reditu instructam, amplexus Christi crucifixi, tamdiu extensis in cruce brachiis eum expectantis, & quasi nostra ad Deum conversio cederet in Dei, non in nostram utilitatem, lætis & pretiosis induitur gratiarum vestibus, & cœlum pia celebrat hilaria: *gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. c. 15.

Si ad hos amoris ardores, & benignitatis excessus non colliquescas, non redames, siliice durius cor geris; fatere coram DEO candidè, te his specialibus gratiis, & divinis cupediis minimè dignum esse; satis & abundè esse, si admissus fueris in domum paternam,

nam,



nam, & iis accensus, qui patrifamilias in sudore & labore serviunt, pondus diei & æstus portant, & mucidi panis frustillo, ac limpidâ victitant, quales esse solent, quotquot seriâ pœnitentia ducti, prioris vitæ errata emendare, & contracta apud divinam iustitiam debita expungere in hac vita satagunt: *Non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis*: dicito, lætitiâ & gaudium, quod Deus ostendit eâ solùm de causâ, quia te denuo recepit, & recuperavit, nimium lenire, & dulcem reddere amaritiem pœnitentiæ tuæ, quamvis hæc ipsa Dei ob peccatorem conversum concepta, & demonstrata lætitiâ ex altera parte augeat pœnitentiæ, & misti doloris amaritiem, dum peccatori clariùs ob oculos ponit, quam bonus, & clemens sit dominus à se toties, & tam foedè offensus: dicito; quòd hæc una de causa potissimum, vel unicè tibi displiceat, & summè doleat, te Deum tuum deseruisse, & offendisse: quia Deo tuo tantopere displicuit, & doluit, quòd te perdidit, & amiserit: Pete à Deo, à tam benigno, & tui amante patre divinam & paternam benedictionem & protectionem, sanctè spondens, tecum hæc, & sub hæc benedictione victurum usque ad ultimum halitum.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & animarum nostrarum medere languoribus, ut remissione peccatorum petita,

cepta,



cepta, in tua semper paterna benedictione,  
& protectione lætemur. Per Dominum  
nostrum IESUM Christum &c.

*Dies sexta*

Meditatio duodecima.

*De duobus vexillis.*

**O**Mnis viator viæ illius, per quam  
mille periculis, mille difficultatibus  
septem, ipsi in patriam redeundum  
est, ignarus, ne erret, ducem quærit. No-  
bis verbum Incarnatum, de quo scriptum  
est Isa. c. 55. *Dedi eum ducem, & præceptorem,*  
datum est pro magistro & duce, qui nos  
doceret, nobisque iter monstraret tutum ac  
certum salutis, & perfectionis. Præsens me-  
ditatio nobis animos addet ad sequendum  
ducem tam peritum & fidelem, ejusque præ-  
menda vestigia; & hoc est initium viæ illu-  
minativæ, & meditationum ad hanc spe-  
ctantium, quæ disponit, ac ducit ad chari-  
tatem perfectam: nam meditationes præ-  
cedentes spectabant ad viam purgativam,  
& ad tollenda impedimenta salutis omnia.

P Præ,